



Universitätsbibliothek Paderborn

Res Gestae Illvstrissimo-||rvm Martyrvm, Con-||fessorvm Atqve Sancta-||rvm Virginvm ...

Eorvm Praecipve, Qvae Per|| R. P. L. Surium sex Tomis compraehensae
sunt:|| et nunc restrictis verborum ambagibus ... ad ... D.|| Caesaris
Baronii Chronologiam|| digestae ac in quatuor Tomos distributae

Lippeloo, Zacharias

Coloniae, 1595

VD16 ZV 18288

S. Petronillæ virginis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-43699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-43699)

756 MARTYR. B. ANDREÆ DE CHIO
multos in fide orthodoxa confirmavit: & Mahu-
metanos pudore confudit. His omnibus ego vehe-
menter commotus, ardebam desiderio vidēdi cor-
pus eius: vidiq̄e ipsū in sepulcro nimium pro-
fundo, & situ horrido, ea tamen integritate mem-
brorum omniū eo totius corporis colore & digni-
tate formæ, tali vultus splendore & habitu, ut non
animū expirasse, sed dormire mihi leniter, sub um-
bra videretur, atqui iacebat loco ira humido, ut om-
nibus iam indumentis quibus erat inuolutū cor-
pus, putrefactis, nudum totum conspiceretur, præ-
terquàm quòd genitales partes, fragmento lini ob-
tegebantur.

Inde verò cum post pia vota & desideria, quibus
ardebam tangendi & osculandi pedes, manus, faciem
præcipui martyris, decimo octavo die Martij
soluerem, ipsa soluendi hora, in non paruum inci-
di periculum, nubibus contrà flantibus, inque saxa
navem depellentibus. Imploravi subitò martyris
auxilium, promisiq̄e, si ad meos, Romam, incolu-
mis deuenirem, perpetuis literarum monumentis
martyrium eius traditurum. Euasi maris & latio-
rum pericula, quodq̄e miraculo est, senex ager-
tusq̄e hinc recessi, iunior sanusq̄e ac multo robo-
stior remeavi.

Auctor nun-
cupat votū
martyri, &
liberatur à
periculis.

*HISTORIA S. PETRONILLÆ VIR-
ginis filia B. Petri Apostoli.*

Maij 31.
Petronilla
paralytica.

Sancta Petronilla Petri Apostoli filia, incredi-
bili pulchritudine virgo, fertur, multo tem-
pore, ex patris voluntate, paralyti laborante,
membrorumq̄; omnium officio destituta, lecto de-
cubuisse. Cumq̄e die quodam, inter alios discipu-
los, Titus pariter adesset, & discumbentes famula-
retur.



res de rebus diuinis sermones conferrent, fertur, cū
 quadam admiratione, dixisse Petro, quid causā ef-
 fer, quod cū alijs optata sanitatum largiretur be-
 neficia, filiam, ab ea, qua detinebatur, lecto affixa,
 calamitate nō liberaret. Cui Petrus, sic animæ eius
 salutē, quæ corporis longè præferenda est, expedi-
 re respondit. Verum tamen ne quæ hoc p̄taretur di-
 uinæ gratiæ inopia fieri, ait ad filiam: Surge Petro
 nulla, nobisque ministra. Ad quam vocem illa pro-
 p̄tuit: cunctis rei admiratione defixis. Expleto
 ministerio, iussit eam ad lectulum redire.
 Rediit illa: moxque febribus correpta, grauiore
 cepit molestia consistari. At verò cum ea omnia,
 maxima mansuetudine perferret, ageretque tam in-
 uictis quam prosperis Deo grates, paulò post,
 omnino beneficio integræ sanitati restituta, & sibi
 alijs plurimis oratione sua miram Dei gratiam
 peperauit.

Sanatur à
 patre ad tē-
 pus.

Interim cū formæ eius præstātia esset eximia,
 multique infano capti amore eam deperirēt, Flac-
 cus Comes coniugem eam sibi postulauit: armata
 manu, nī spontē consentiret, eam abripere vo-
 uit. Cui virgo: Quid, inquit, ad virginem iner-
 tem cum militibus venis. Me si tibi vxorem de-
 sideras, honestas potiùs virgines matronasque post-
 ulandum ad me mittito: vt earum comitata obse-
 quio, cum honore tuas ad ædes spontē veniam.
 Hoc dicto gaudius vehementer Flaccus triduum ei
 concessit, quo toto Petronilla precibus & ieiunijs,
 cum Foelicula virgine collectanea intēta, diuinam
 fiduò opem flagitabat. Tertio verò die, Nicome-
 tes presbyter eam inuisens, diuina ibidē celebra-
 uit mysteria: eamque sacrosancto Christi corpore

Flaccus Co-
 mes eā vxorē
 sibi peti-
 tit.

Excedit à vi-
 ta sumpto
 venerab. sa-
 cramente.

Bbb 3 & fan-

758 CERTAMEN SS. MART. PAMPHILI, &c.
& sanguine refecit: & ecce, sumpto epulo illo ce-
lesti, mox beatum Creatori suo spiritum tradidit.
Corpore eius honorifice sepultura mandatum, con-
structo desuper nobili coemeterio, anniuersaria
natalis eius commemoratione illustratum fuit. In-
de verò è dicto coemeterio ad basilicâ Vaticanam
translatum honorificentissimè asseruatur.

Baro. Tom. 1.
Annal. An-
no Christi
69.

I V N I V S.

CERTAMEN SS. MARTY-
RVM PAMPHILI, VALENTIS,
PAVLLI, SELEVCI, PORPHYRII, THE-
ODVLI, IVLIANI ET SOCIORVM.

*Ex eo quod est per Eusebium Ca-
sariensem.*

Iunij 1.



AGNVM hîc & gloriosum pro-
fectò oculis nostris offertur spe-
ctaculum, Pamphili & sociorum
virorum admirabilium, nam facti
neruorù vel vocum cantus, plu-
rium sonorum varietate tempera-
tus suauiter aures animumque oblectat: ita virtus
in duodenario hoc martyrum numero, in quibus
iusdem virtutis splendor, æquali inæqualitate, ma-
rifice congruit, non potest non animos nostros, sua
admiratione defixos, ad se rapere, & summa quâ
voluptate perfundere. Sunt enim hic adolescentulus
simul & senes, serui simul & liberi, eruditi & rudi-
des, obscuri generis homines, vt multis videbatur,
& gloria insignes, fideles simul cum catechumenis,
& diaconi cum presbyteris: qui omnes tanquam in
Iunij 1.